

Dissertatio medica inauguralis de opio ... / [Johann Christian Burghardi].

Contributors

Burghardi, Johann Christian.
Hamberger, Georg Erhard, 1697-1755.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Litteris Ritterianis, [1749]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qca6wgz7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

18194/p

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

O P I O

QVAM

ANNVENTE DIVINO NUMINE

P R A E S I D E

**GEORGIO ERHARDO
HAMBERGERO**

PHILOS. ET MED. DOCTORE PHYSICES CHIMIAE
ET PRAXEOS PROF. P. ORDIN. SERENISSIMORVM SAXON.
DVCVM STIRPIS ERNESTINAE CONSIL. AVLICO
ACAD. NATVRAE CVRIOSORVM SODALI
MEDICO PROVINC. IENENSI
ET FACVLTATIS MEDICAE SENIORE

PRO

GRADV DOCTORIS

MORE MAIORVM LEGITIME OBTINENDO

DIE XXVI. APRILIS AN. MDCCXLIX.

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISIONI SVBMITTIT

A V C T O R

IOH. CHRISTIANVS BVRGHARDI

WAHRENA MEGAPOLITANVS.

IENAE LITTERIS RITTERIANIS.

DISSERTATIO MEDICAE ANATOMICA

DE

OPUSCULO



ANNO 1771

GEORGIUS ERNESTUS
HAMBERGERO

PHYSICUS ET ANATOMUS
ACADEMIAE CAESARIS
MAGISTRUS

GRADU DOCTORIS

MAGISTRI

JOHANNIS CHRISTIANI RICHTARDI

PHYSICI

IN ACADEMIA CAESAREA



I. N. I.

§. 1.



INTER medicamenta heroica dicta, i.e. ea, quae, parua quamuis dosi data, insignes in corpore humano produ-
cunt effectus, primum sibi vindicat locum, succus iste papaueris semine albo, qui, ex capitibus papaueris, ad maturitatem adpropinquantibus, vulneratis stillans, inspissatus, in glebas pugno circiter aequales collectus et foliis tectus, ad nos sub *opii* nomine defertur. Extracti enim *opii* granum vnum in corpore humano adulto, nisi vsus *opii* in consuetudinem degenerauerit, sensibilem semper producit mutationem.

§. 2.

Ex Natolia Aegypto et India affertur. Veteres, et multi recentiorum, istud opium, quod in Aegypto circa Thebas colligitur et *opii thebaici* nomine venit, alii, vt Persae, istud, quod ex succo primitus ex capi-

tibus vulneratis prodit, si seorsim colligitur, pro praestantissimo habent. Hodie vero, cum locus natalis ex signo quodam manifesto diiudicari nequeat, istud laudatur opium, quod diffractum consistentiae est aequalis, non glabrum, colore gaudet splendente fusco vel nigricante, odorem spargit vehementem virosum stupefacientem, saporem exhibet amarum, acrem, non empyreumaticum, digitis agitatum lentescit, inflammabile est, et aquam non flauo sed rubro tingit colore. Contra vero friabile, aridum, terrae arenae vel aliis foribus commixtum, adeoque consistentiae inaequalis, tanquam minus utile reiicitur.

§. 3.

Veteribus idem succus, sed ex tota planta contusa extractus et inspissatus, sub *meconii* nomine in usu fuit. Plura quidem ab autoribus, ad historiam opii naturalem eiusque praeparationem pertinentia, referuntur, sed quia tantus est auctorum dissensus, ut in nulla plane thesi, nisi in hac, opium ex papauere parari, conueniant, uti patet, si recentiores quoque autores NEVMANNVM *Berol.* et GEOFFROY consulamus, et compositio harum controuersiarum in nostra non est potestate, haecenus dicta pro nostro scopo sufficiant cum reliquae opii species in nostras raro si vnquam deferantur regiones.

§. 4.

Sapor opii amarus acris salia opio inesse manifeste docet; Inflammabilitas vero eius sulphurearum partium praesentiam monstrat. Adeoque sine vlllo examine chimico cognoscimus, salino sulphureae, seu saponaceae naturae esse opium.

§. 5.

§. 5.

Soluitur opium in aqua, spiritu vini, aceto et spiritu falis ammoniaci, in nullo tamen perfecte, sed vbiuis terram non solubilem relinquit, oleum vero oliuarum opio infusum vix colorem mutatum acquirit.

§. 6.

Ex eo, quod opium in aqua soluitur, gummosam substantiam ipsi inesse tuto concludimus; et ex eo, quod a spiritu vini soluitur, ad resinosas eius partes conclusio valet. Nulla enim resina soluitur ab aqua, et gummata mere talia non soluuntur in spiritu vini. Alias vero esse partes, quae a spiritu vini, quam quae ab aqua ex opio soluuntur, eo quoque confirmatur phaenomeno, quo videmus, guttulas solutionis opii, per spiritum vini frigidum factae, aquae fontanae instillatas, in hac coagulari et praecipitari.

§. 7.

Sal quoque volatile opii odor eius vehemens demonstrat: quia tamen specificus admodum est, virosus nempe et stupefaciens seu narcoticus, talis vero odor nec simplici sali volatili, siue acido siue vrinoso, nec sali volatili oleoso vlllo, siue empyreumatico, siue alio aethereo dicto, qualis oleorum in aqua vel spiritu vini destillatorum esse solet, conuenit, id quidem certum est, inter composita salia, quibus nempe sulphureum quoddam volatile iunctum est, istud sal opii volatile referendum esse; num vero sit vrinoso sulphureum, an acido sulphureum, aut ammoniacale sulphureum, hucusque quidem determinari non potuit.

§. 8.

Vt partes opii constituentes pateant, quamquam ex iisdem virtus et noxa, ex opio expectanda, minime explicari queat, analysin a GEOFFROY * institutam hic recensabo. Verbis vero sequentibus, quae obseruauit, refert. *Opium vero analysi instituta huius succi puri et sinceri ℥ij. praebuerunt liquoris tum acidi, tum urinosi ℥xij. ℥ij. olei crassioris ℥ij. ℥ij. Caput mortuum in retorta superstes pendebat ℥xv. ℥iiij. quod, igne reuerberii calcinatum, reliquit cinerum fuscorum ℥ij. gr. ix. ex quibus lixiuis salis fixi mere alcalici ℥iiij. gr. xiv. extracta fuerunt. Deperditio partium in destillatione fuit ℥j. ℥vij. in calcinatione ℥xiiij. ℥iiij. gr. xij. et ex his et aliis ante dictis concludit. Itaque in opio plus inest salis volatilis, quam in foliis aut capitibus. Sed non solus sal alcali urinosus in opio reperitur, ut Pitcarnius existimauit, verum etiam acidus sal et quidem potens, quod probatur tum per analysin, tum etiam, si solutio opii in heliotropii tincturam affundatur, colorem enim rubrum igneum huic tincturae conciliat.*

§. 9.

Ratione effectuum, qui opii usum in corpore humano sequuntur, adeo diuersae sunt autorum sententiae, ut videas multos autores, qui usum opii, tanquam semper noxium in corpore humano, simpliciter damnant atque reiiciunt, alios vero qui opium maximis extollunt laudibus, et inter signa benignissimae prouidentiae diuinae numerent. Ad priorem classem ERASISTRATVS, DIAGORAS, ANDREAS quidam, MATTHIOLVS, RVELLIVS, TABERNAEMONTANVS,

RHO-

* de Mater. med, Tom. II. p. 69e.

RHODIVS, RENODAEVS, ZACVTVS LVSITANVS, QVERCETANVS atque SCHROEDERVS, ad posterio- rem vero Rex ATTALA, MITHRIDATES, ANDRO- MACHVS, MESVE, NICOLAVS graecus et alius NI- COLAVS tripherae magnae et requiei inuentor, item- que SANCTVS COSMVS et DAMIANVS, PLATE- RVS, CROLLIVS, HARTMANNVS, SYDENHAM, WILLISIVS, SYLVIVS qui, quia dixit, se medicinam excercere nolle, si careret opio, Doctōris opiati nomen obtinuit, b. G. W. WEDELIVS atque BOERHAAVIUS referuntur.

§. 10.

Nec mirum tantum esse circa effectus opii in cor- pore humano Doctōrum dissensum, cum 1) omnes consentiant, opium maiori dosi adhibitum nocere, 2) pe- riculosum sit, rebus noxiis experimenta in corpore hu- mano instituere, consequenter 3) plurimi cogniti effectus noxii casu potius, ideoque sine necessariis circumstantiis, sint obseruati, quam studio instituti, 4) effectus opii, pro varietate temperamentorum, consuetudinis, morbo- rum, doseos et praeparationis opii diuersitate, variant. Cum igitur omnes ad experientiam prouocent, iisdem- que tamquam viris honestis fides sit adhibenda, omnem dissensum ex circumstantiarum partim omissione, partim non sufficiente determinatione, pendere probabile est.

§. 11.

Vt igitur constet, quid haecenus de opio obserua- tum sit, ex GEOFFROY l. c. p. 695. et seqq. phaeno- mena, ex eodem vero autore itemque b. WEDELIO,*

SINA-

* Opiologia p. 141. et seqq.

SINAPIO * et NEVMANNO ** cautelas circa vsum opii, secundum dictorum autorum sententias, adducam.

§. 12.

Ita vero GEOFFROY l. c. scribit:

Debita dosi exhibitum quandam circa praecordia gratam sensationem excitat: animum ad hilaritatem promouet, sicut fit ex modica vini potatione: curas et molestiam remouet, saepe animum ad sua munia obeunda alacriorem ac vegetiorem reddit; unde audacia, sui fiducia, fortitudo, magnanimitas et periculorum contemptus ut plurimum sequuntur. Eam ob rem Turcae ampla eius dosi sese ad praelium accingunt. Sanguinis et spirituum motus efferos compefcit, dolores demulcet, corpus laboribus grauatam subleuat, haemorrhagias ab aestuante sanguine oriundas sistit: caeteras euacuationes saltim per tempus cohibet, exceptis sudoribus et insensibili transpiratione: late enim promouet; arteriarum pulsum magnum elatum et tardum efficit; oris siccitatem affert, in cute ruborem et leuem pruritem excitat, semen auget et venereum appetitum stimulat, praesertim si larga dosi hauriatur. Maiorem effectum sortitur in calida et humida tempestate et in corporibus laxioris texturae, ut in mulieribus et infantibus.

§. 13.

Pergit dein: Alii quidem sunt effectus, qui opium iusta dosi sumptum frequentissime sequuntur, licet non constanter. Sic soporem saepius inducit, sed non semper, quidam enim ab assumpto opio minus dormiunt. Somnia grata ac iucunda ut plurimum prouocat, vomitum et singultum sedat,
quan-

* de remedio doloris p. 153.

** Lektion. de opio p. 141.

quandoque excitat, sicut et spasmos et conuulsuos motus. Tardiozem efficit in ventriculo ciborum concoctionem; ciborum appetentiam minuit. Sudores excitat: Muliebrium menstruorum et post partum suppressarum, a fibrarum erethismo et conuulsione, purgationum fluxum nonnunquam promouet: Placentae euacuationem aliquando iuuat: arenularum et calculorum expulsionem saepe conducit: haemorrhagias quasdam cohibet: Lac nutricum auget: mammarum intumescenziam, penis erectionem, somnia venerea et in somno seminis emissionem, cutis ruborem et pruritum, vrinae profluuium et nonnunquam suppressionem inducit; licet illi effectus non constanter subsequantur.

§. 14.

Porro refert: Quidam uero sunt alii effectus minus frequentes; uidelicet fugaces paralyses, praesertim vesicae, balbuties, maxillae inferioris relaxatio, sudorum suppressio, alui solutio, aquarum hydropicorum euacuatio, ut Willisius obseruauit; stuporis artuum, a frigore externo concitati, curatio, suffocationes, anxietates circa praecordia, singultus, vomitus, spasmodici motus, syncopes et Lipothymiae et quandoque mors, quae tamen rarissime, nec nisi in corporibus summe plethoricis, aut in corporibus summe debilitatis et iam a longo tempore attenuatis accidit: unde illius usus post enormes haemorrhagias, aut quascunque vacuationes nimias, metuendus est. E contra mira quandoque uirium et vitae recreatio in quibusdam semimortuis, ut ita dicam, et ad extrema redactis percipitur. Nonnunquam etiam opium diutius in ventriculo moratur absque effectu, humoribus nempe spissis ac viscidis inuolutum.

§. 15.

Uterius memorat: Cessante narcotici operatione haec

B

et-

ut plurimum subsequuntur: Regressus affectionum et dolorum quae sedauerat et saepe grauiorum quam antea, nisi beneficio sudoris, aut alio modo, eorum causa ab opio expulsa aut deleta fuerit: Sudor, licet non semper superueniat, mictio frequens, nonnunquam alui solutio, tristitia et spirituum defectus, pulsus languidus ac depressus, cutis pruritus.

§. 16.

De nimia vero opii dosi sequentia refert: Nimiam opii dosin sequuntur siue iidem affectus, qui a vini ingurgitatione produci solent, scilicet animi hilaritas, risus immoderatus, artuum relaxatio et debilitas, mentis alienatio, memoriae defectus, vertigines, oculorum caligines, corneae laxitas, pupillae dilatatio, balbuties, sopor, pulsus magnus et tardus, faciei rubor, maxillae relaxatio, labiorum intumescencia, spirandi difficultas, furor, ventriculi ardor et nonnunquam grauitas, aestus venereus, priapismus, cutis calor et pruritus, nausea, singultus, vomitus, pulsus inaequalis modo depressus modo elatus, conuulsiones, sudores frigidi, syncopes, lipothymiae mors. Quae quidem symptomata non omnes omnia aggrediuntur, neque aequali vehementia, sed alios alia plus minusue, pro varia corporis constitutione, opii dosi diuersa et aliis circumstantiis. Qui non pereunt liberantur ut plurimum copioso alui profluuio vel sudoribus copiosis, qui opii odorem referunt, magno cutis pruritu stipatis. Equidem obseruandum est, alui profluuium tutius ab opii dosi nimia affectos liberare, periculosius illos aegrotare, quorum cutis laxioris est texturae et ventriculus debilis, et, ut illorum alii furiosi sunt alii vero stupidi, ita furiosos mortem facilius declinare quam stupidos et comatosos:

§. 17.

Cum effectus opii et reliquorum narcoticorum fere coincidunt, symptomata, quae initio veris anno 1747. puer trium circiter annorum, ex usu radicis hyoscyami, ad mortem usque sustinuit, vna cum obseruatis in cadauere eius dissecto, supra de opii effectibus adductis, hic addere liceat.

§. 18.

Hora decima matutina puer dictus radicem edit hyoscyami, putans se raparum reperiisse radicem, hora vndecima cum dimidia cibum quidem petit, quem vero nec masticare nec deglutire poterat, inquietus est et digitis parentibus ostendit ac si aliquid in ore haereret. Potum desiderat, sed nec hunc deglutire valet. Hora duodecima dormire cupit, dormit quoque per horae quadrantem, dein sponte excitatus clamat et nec stare nec sedere potest. Nates et pedes iam ista hora rubebant, reliqua tota cutis vero ardebat, breui tamen post tota cutis, ac si inflammata esset, rubicundum cinnabarinum acquirebat colorem, clamat puer, constanter ardet, respirat vehementer et manibus violenter agit. Hic status ad horam usque sextam vespertinam durat, quo tempore tranquille ad octauam cum dimidia decubuit. Parentes, qui finitum morbum ideo credebant, quia duo vicini cuiusdam filii, praecedente die, ex usu radicis hyoscyami, similia quidem sustinuerant symptomata, post remissionem tamen symptomatum ad priorem redierant sanitatem, isto tempore faciem quidem pueri pallidam sed simul frigidam inueniunt, cumque dormire filium crederent, hora nona mortuum inueniunt.

§. 19.

Vix a parentibus obtinere potuit venerandus PRAESES vt sectionem cadaueris concederent, cranii tamen apertionem simpliciter denegarunt, vnde ea tantum, quae in reliquo corpore obseruauimus, exponere valemus.

1) Cutis color, excepta facie, totus erat praeternaturalis. Pars enim superior dorsi, plantae pedum, brachia, extremitates digitorum itemque vngues, in manibus pariter ac pedibus, ac pollices manuum nigricabant, regio pubis atque femora fusca erant, regio hypogastrica ad vmbilicum vsque, vna cum pinguedine subiacente, itemque lumbi, viridem exhibebant colorem, in regione tantum inguinali itemque vbi scrotum femoribus adiacebat, cuticula alba, spuma quadam viscida tecta et a subiacente cute secedens reperiabatur, tota reliqua cutis rubra erat ac si inflammata esset.

2) In femoribus hic illic guttulae aliquot flavae haerebant.

3) In toto infimo ventre nullus plane status p. n. qui ex hyoscyamo deriuari potuisset, obseruari poterat, si maculas quasdam fuscas in renibus exceperis. Hepar quidem pallidum erat, et in eius superficie conuexa quaedam tantum striae naturali colore praeditae adparebant, talis vero color hepatis pallidus in multis obseruatur infantibus.

4) Intestinorum et ventriculi non solum color perfecte erat naturalis, sed et superficies horum viscerum interna suo gaudebat muco naturali.

5) In ventriculo lympa, cui partes radicis hyoscyami innatabant, reperiabatur.

6) Pars

6) Pars pulmonum anterior naturali colore praedita erat, posterior vero nigricabat, et grauior erat quam naturalis pulmo esse solet.

7) Sanguis denique, in cordis ventriculis totus fluidus, absque vlllo grumo reperiēbatur.

§. 20.

Ex his phaenomenis concludimus, narcotica ita agere, vt sanguis ex vasis sanguiferis in serosa vel etiam lymphatica transire debeat, (§. 19. nr. 1.) nec tamen, quamuis calor accedat vehemens, (§. 18.) coaguletur. (§. 19. n. 7.) Ex quo statu corporis mutato facile dein reliqua deriuantur phaenomena.

§. 21.

Quamquam enim intestina atque ventriculus in puero, ex hyoscyamo defuncto, absque vlllo rubore p. n. sint obseruata, minime tamen exinde concludere licet, ista etiam durante morbo non fuisse inflammata, facies enim pueri durante morbo tota rubuit, ante mortem tamen et post mortem rursus pallida euasit. Simile igitur quid in intestinis fieri potuisse facile patet.

§. 22.

De faciei cute quotidiana docet experientia, eius vasa, cuticulae subiacentia, facile quidem a sanguinis impetu aucto eousque dilatari, vt sanguinem admittant, et transmittant, sed et eadem, impetu sanguinis imminuto, breui rursus ita contrahi, vt sanguinem contentum in venas quidem propellant, nullum vero alium vltius admittant. Facile enim rubet facies et mox iterum pallefcit.

§. 23.

Similem vasorum arterioso lymphaticorum constitutionem in intestinis locum habere ex eo probabile fit, quia parietes intestinorum sunt tenues, satis tamen robusti, et arteriae tres, satis magnae, sanguinem eo deferunt. Siue vero intestina durante morbo fuerint inflammata, siue minus, nobis perinde erit, sufficit hoc tuto ex obseruatis concludi, primas vias ab hyoscyamo, immediate et sensibilibiter non laedi, i. e. nec erodi, nec mucositate defendente naturali priuari; unde erodens vis hyoscyamo tribui nequit. Idem igitur de opio praedicare licebit, cum opii vis narcotica vi narcotica hyoscyami minor sit.

§. 24.

Vt igitur memoratos opii et hyoscyami in corpore humano productos effectus ad veras suas reducamus causas, inquirendum nobis erit,

1) num totum sit opium, vti nempe ex omnibus suis partibus constituentibus est compositum, an huic pars tantum quaedam commixta sit, cui hypnoticus et narcoticus effectus sit tribuendus.

2) Quonam istud, quod dictos effectus producit, agat modo?

§. 25.

Non totum opium, vti est commixtum, suos edere effectus, ex eo cognoscimus, quia in nostris regionibus raro opium in substantia propinatur, sed tantum solutio eius, vel huius solutionis extractum. Cum igitur opium a nullo menstruo perfecte soluatur, sed semper caput mortuum copiosum relinquat, quod, si sufficiens

ficiens fit facta solutio, omni virtute hypnotica est destitutum; patet hanc partem, quae terrestris esse solet, ab opio abesse posse, salua opii virtute narcotica et hypnotica.

§. 26.

Ista pars opii, quae narcoticos edit effectus, volatilis esse debet et minima quantitate potens. Odor enim opii est narcoticus, (§. 2.) et vnicum extracti opii granum, vel guttulae essentiae opii vndecim, quae granum vnum extracti quam proxime continent, non somnum solum inferunt, sed grauissimos calculi dolores leniunt saltim insigniter, saepe plane fugant. Nec necesse est vt hoc granum totum in nostro corpore solua- tur, pro effectu desiderato obtinendo, obseruatum enim est, pillulam opii assumptam egregios edidisse effectus, vomitum nempe per octo horas sistendo, quamquam ista altero die vomitu sit reiecta. *

§. 27.

Eandem quoque thesin, nempe partem opii volatilem eamque paruam esse, qua noti effectus opii in corpore humano producuntur, Illustris BÜCHNERI docent obseruata. ** Refert enim substantiae opii gummosae, per triginta sex horas valide coctae, vnciam dimidiam, et substantiae resinosaе, per totidem horas coctae, scrupulum vnum cani exhibitum, huic animali nec tremorem, nec soporem, nec lassitudinem nec aliud quoddam malum induxisse, quamquam prioris vncia dimi-

* van Suieten Comment. Tom. p. 370. Edit. Leyd.

** dissert. de opii effectibus genuinis in corpore humano §. 35 et 36.

dimidia quindecim tantum, posterioris duodecim vero tantum sui ponderis grana amiserint.

§. 28.

Idem Ill. Autor monet quoque, l. c. §. 17. vnciis duabus opii in aqua coctis, substantiae cuiusdam vinctuosae drachmam dimidiam aquae innatare. Huius scrupulum vnum cani exhibuit, qui hora dimidia post assumptionem mortuus est, postquam tremores, aestus, grauem somnum et conuulsiones sustinuerat. Saponaceae opii partis si scrupulos duos cani exhibuit, mors tertio demum die sequuta est. Ex quo patet, narcoticam virtutem isti vinctuoso inhaerere, et sulphureae volatilis, seu potius saponaceae volatilis esse naturae, saporem enim exhibet et coctione auolat. Idem ex GEOFFROY quoque obseruatis patet, qui refert * eousque iteratas digestiones, vsque dum odor cessat, destruere opii virtutem anodynam.

§. 29.

Cum igitur saponacea volatilia, tam quatenus salinae quam quatenus sulphureae sunt naturae, fluida nostri corporis minus viscida i. e. fluidiora reddere et debeant et soleant, quatenus nempe salia, sulphureis particulis obducta, omnibus tam rubicundis quam serosis adhaerent globulis, subtilitate sua, ex volatilitate cognoscenda, iisdem interponuntur, contactumque haud alium, quam ipsis leuioribus intermediis, admittunt, sic quoque eodem modo opium, partibus suis saponaceis volatilibus, humores nostros mutare, probabile est.

Actu

* L. c. Tom. II. p. 709.

Actu vero hoc modo opium agere sequentia probant experimenta.

§. 30.

Opium vnciam dimidiam solui in aquae pluuiialis frigidae vncia vna cum dimidia. Trecentarum guttularum huius solutionis pondus aequabat 174. granis, cum ipsius aquae pluuialis trecentarum guttularum pondus 351. granis aequale esset. Vnde patet, cohaesionem aquae pluuialis ultra dimidium per opium imminui.

§. 31.

Solutionis vnciae dimidiae opii, in vncia vna cum dimidia spiritus falis ammoniaci factae, trecentae guttulae ponderabant 143. grana, quamquam ipsius spiritus falis ammoniaci pondus trecentarum guttularum 306. granis aequale esset. Fluidorum ergo vrinosorum quoque cohaesio ultra dimidium per opium imminuitur.

§. 32.

Trecentarum guttularum spiritus vini rectificatissimi pondus 140. granis erat aequale, solutionis vero vnciae dimidiae opii, in vncia vna cum dimidia dicti spiritus, 300. guttulae 133. granis aequales erant. Parum ergo spiritus vini cohaesio per opium imminuitur.

§. 33.

Eadem quantitate opii in aceti destillati frigidi triplo soluta, 300. guttulae aceti 160. granis, 300. guttulae solutionis vero 163. granis aequales sunt repertae. Auget igitur opium aceti cohaesionem, parum tamen.

§. 34.

In omnibus his experimentis opii tanta quantitas, quanta frigidis fluidis misceri potest, erat commixta :

C

quia

quia vero parua opii quantitas in corpore humano viuo notabiles edit effectus, inquisiuimus quoque, num parua quoque solutionis opii quantitas, in maiori aquae quantitate huius cohaesionem mutaret, et sequentia obseruauimus phaenomena.

§. 35.

Libris duabus cum vnciis tredecim et vni drachmae, siue 21660. granis aquae fluuialis, cuius 300. guttulae 386. granis erant aequales, admiscuimus solutionis opii in aqua (§. 30.) guttas 10, et mixti guttulae 300, granis 370. aequales inueniebantur. Admiscuimus eidem mixto adhuc solutionis opii guttas 10, et pondus 300. guttularum mixti ad 347. granorum descendebat pondus. Vltior vero imminutio non est obseruata, quamquam succesuue ultra 200. guttulae dictae solutionis opii, mixto dicto fuerint infusae. Guttulae 20. solutionis istius opii non perfecte granum vnum continebant opii, vti exsiccando inueniri potest. Ergo granum vnum opii sufficit ad imminuendam cohaesionem 21660. granorum aquae.

§. 36.

Minorem effectum edit solutio opii per spiritum vini facta, huius enim guttas 10. cum 21660. granis aquae miscuimus, praecipitabatur ilico opii resina ex spiritu vini, vasis tamen agitatione miscuimus rursus praecipitatum aquae, indagato dein 300. guttularum pondere, istud 390. granis aequale repertum est, quamquam 300. aquae simplicis guttulae 380. tantum granis aequales erant. Additis denuo 10. solutionis opii guttulis, iisdemque post praecipitationem denuo aquae commixtis, 300. guttularum pondus ad 374. grana descendebat:

debat : Vltcrius vero non minuebatur, quamquam adhuc 10. guttulas dictae solutionis opii adderemus.

§. 37.

Vt magis experimenta adplicationi ad corpus humanum apta redderemus, cum sero bouino experimenta instituiamus. Seri igitur bouini drachmis sex, cuius 300. guttulae 310. granis aequabant, miscuimus tincturae opii siue Essentiae anodynae WEDELII * guttas duas, et pondus 300. guttularum seri ad 306. descendebat grana. Denuo quatuor guttulas eiusdem essentiae addidimus, et 300. guttularum pondus 260. granis tantum aequale reperiiebatur. Additis eidem sero denuo quatuor dictae essentiae guttulis, crescebat rursus 300. guttularum pondus ad 300. grana, immo post quadrantem horae, absque noua affusione, sponte ad 333, post sequentem tamen horae quadrantem, itidem sponte, ad 316. granorum pondus descendebat.

§. 38.

Miscuimus tunc eidem sero, cui dictae 10. guttulae essentiae anodynae commixtae erant, viginti guttulas aceti destillati, et illico 300. guttularum seri pondus ad 343. grana adscendebat : minuebatur quidem quoque sponte, post quadrantem enim horae 300. guttulae eiusdem seri 320. tantum granis aequales erant, denuo vero affusis viginti aceti destillati guttulis, 300. guttularum pondus ad 347. adscendebat grana.

§. 39.

Inuerso quoque ordine rem tentauimus, simili tamen successu. Seri nempe bouini drachmis sex, cu-

C 2 ius

* chimiae p. 155.

ius 300. guttulae pondere 290. granis aequales erant, addidimus aceti destillati guttas 20. et 300. guttularum pondus ad 360. adscendebat grana. Denuo viginti additis aceti guttulis, parum serum mutabatur, 357. enim granis 300. guttularum pondus aequale deprehendebatur. Affusis vero essentiae memoratae anodynae (§. 37.) guttulis sex, mox ad 330. immo, post alias sex dictae essentiae affusas guttulas, ad 267. granorum descendebat pondus.

§. 40.

Haec contraria feri per opium et acetum mutatio etiam in aqua locum habet, id quod sequente patebit experimento. Aquae fontanae 21660. granis, cuius 300. guttulae 392. granis aequales erant, miscuimus solutionis opii, in aceto destillato frigido factae, guttas 10. Minuebatur quidem 300. guttularum aquae pondus ita ut 386. tantum granis aequale reperiretur, additis vero adhuc aliis dictae solutionis opii guttulis 10, ad 430. granorum pondus adscendebat, in quo statu permanebat fere, quamuis adhuc 10. guttulas solutionis opii adderemus; 427. enim granorum tunc erat pondus 300. guttularum. Affusis adhuc 20. solutionis guttulis, ad 410. grana rursus descendebat 300. guttularum pondus.

§. 41.

Vt vero mutationes feri vel sanguinis alcalici ab opio cognosceremus, miscuimus sero vaccarum, cruento quidem et rubicundo (lympha enim post plures dies a sanguine non secedebat) fluido tamen instar feri pellucidi, et quidem vnciae vni guttas 20. spiritus salis ammoniaci. Ante miscelam 300. guttulae feri 276. granorum

rum exhibebant pondus, id quod, miscela per agitationem vasis vehementiorem facta, ad 290. quidem grana adscendebat, affusis vero Essentiae anodynae guttis 6, ad 240. grana rursus minuebatur.

§. 42.

Post tres dies vnciae vni feri rubicundi eiusdem sanguinis, cuius 300. guttulae iam 287. granis aequales erant, addidimus olei tartari p. d. guttas 20. Agitatione vasis facta, expectauimus donec spuma, exagitatione orta, sponte fere euanesceret, id quod post 20. circiter minuta factum est; indagato dein 300. guttularum pondere, istud 259. granis aequale deprehendimus. Non obstante insigni hac imminutione, tamen adhuc ad 249. descendebat grana, postquam guttulas 6. Essentiae anodynae addidimus, et, agitatione vasis facta, post quadrantem circiter horae, pondus 300. guttularum indagauimus.

§. 43.

Ex haecenus institutis experimentis id maxime probabiliter concludi posse videtur, opium, vel alia ex eodem decenter praeparata medicamenta, humores corporis humani, speciatim sanguinem atque serum, ita mutare, vt partes eorundem minus inter se cohaereant. Cum igitur cohaesio particularum fluidarum inter se penetrationem earundem in vasa subtilia et subtilissima corporis humani impediatur, vel saltem minuat, sequitur, vt, hac cohaesione per opii miscelam imminuta, fluida facilius, immo abundantius, penetrent in vasa extrema, per quae naturaliter quoque fluunt, immo penetrent in vasa in quae in statu naturali abire haud poterant, quam penetrationem in vasa aliena forsitan grauitas specifica

quoque particularum fluidarum, in superficie per opium mutata, auget.

§. 44.

Quatenus fluida liberius per vasa sua ordinaria seu conuenientia mouentur, circulatio fit celerior, plures secernuntur spiritus, plures ergo sanguini miscentur, ipseque sanguis ab aëre, quem continet, ob cohaesionem suarum partium imminutam, et spirituum maiorem quantitatem commixtam, magis turgescit, vnde maxima pars phaenomenorum §pho 12. itemque §pho 13. expositorum facile intelligitur. Si dolor ex impedito fluidorum per vasa, a spasmō forsitan coarctata, motu adfuerit, restituto hoc motu per opium, spasmus et dolor cessabunt. Et hoc modo, a minori opii dosi, dolores a calculo, vomitus, aliaque spasmodicae et dolorosae contractiones cessare possunt.

§. 45.

Ob cohaesionem partium fluidarum imminutam fieri quoque potest, vt singulares globuli serosi intrent in vasa lymphatica, vel, vt singulares globuli sanguinei intrent in vasa serosa, qui introitus tanto facilius efficitur, si dicti globuli, particularum subtilissimarum et leuissimarum opii adhaesione, specificè leuiore, quod ad superficiem, sint redditi, tunc enim adhaerent vasis quibus sibi relictī haud adhaesissent, itemque si sanguis magis turgescens, orificia vasorum minorum, ex maioribus dilatatis ortorum, itidem dilatet. Penetratione vero facta, quia pleraque horum vasculorum extremorum sunt conicae figurae, particula iusto maior, quam intravit in vas, transire tamen nequit, ergo vas obstruitur.

§. 46.

§. 46.

Obstructione facta vas obstructum facile dilatatur, quam dilatationem duplex proxime sequitur effectus. Plures nempe particulae crassiores in vas dilatatum intrant, et orificia ramorum subtiliorum vasis obstructi itidem ampliantur, vnde fieri potest, vt globuli sanguinei etiam in lymphatica abeant vasa. Rubedo ergo inflammatoria istius partis corporis animati, in cuius vasa lymphatica sanguinis globuli penetrarunt, necessario sequitur, itemque sensus pruritus, a minimorum vasculorum expansione, et calor istius partis praeternaturaliter auctus.

§. 47.

Si talis stasis fiat in cerebro, in initio quidem, vbi pauca vasa sunt obstructa, agitatio istorum vasorum aliorumque contiguorum cerebri tubulorum, et ex hac hilaritas, immo risus immoderati, oriri possunt, quando vero plura cerebri vasa obstructuntur, spirituum impeditur secretio, tubuli neruei, seu potius cerebri, comprimuntur, vnde motus spirituum per neruos impeditur, Dolorum ergo cessatio, debilitas, artuum relaxatio, mentis alienatio, memoriae defectus, somnolentia immo narcosis aliaque §pho 14. et 16. enarrata symptomata sequuntur.

§. 48.

Si in cerebello talis fiat stasis, lipothymia syncope immo mors sequi potest, raro tamen, nisi in summe plethoricis vel debilibus (§. 14.), et in istis quidem, quia obstructio cerebelli facile vniuersalis euadit, in his vero, quia stasis expediri nequit. Si in neruorum tunicis hic illic
 talis

talis fiat sanguinis in vasa serosa vel lymphatica penetratio, ex tumore vasculorum ipsa medullosa nervi substantia comprimitur, ex cuius gradu minori dolorum cessatio, ex maiori paralyfes particulares, oculorum caligines etc. oriuntur.

§. 49.

Si plurima vel omnia cutis vasa serosa vel lymphatica, magis vero, si etiam aliarum internarum tunicarum vasa aquosa sanguinem contineant, facile patet ex hac obstructione, circulum humorum non fieri nisi per extremitates arteriarum sanguineas, adeoque istum insigniter esse impeditum, vnde cor, praecipue cum sanguis rarefiat, (§. 44.) insignem sentit resistantiam: ergo perfecte sese euacuare nequit. Extenditur ergo cor, expanduntur arteriae, sequuntur anxietates, spasmi, et, ex simili stasi in ventriculo, singultus, vomitus etc.

§. 50.

Nulla tamen harum stagnationum, seu translationum sanguinis in vasa serosa aut lymphatica, vel feri in lymphatica, diu durare potest, quia cohaesio omnium particularum fluidorum crassorum est imminuta, adeoque fluida ad coagulum sunt inepta. (§. 19. nr. 7.) Vasa contra obstructa dilatantur, impetus fluidorum augetur, adeoque omnia concurrunt quibus stasis expediti potest.

§. 51.

Duplici vero modo stasis expeditur. Quousque durat impetus sanguinis maior, semper, tametsi prior sanguis, in alienis stagnans vasis, transeat in venosa connexa, novus in eadem transit, adeoque perdurat ob-
structio

structio atque rubedo, nulla tamen fieri potest inflammatio, quia, ob cohaesionem imminutam, sanguis inspissari nequit, sed semper vel fluit vel saltim non coagulatur. Interim vasa quoque excretoria, ex ultimis vasis obstructis orta, dilatantur, subtiliorem ergo fluidi partem admittunt et transmittunt, vnde excretio siue per aluum, siue per renes, siue per cutim fit copiosa, qua opii partes simul educuntur, quae, quia sunt volatiles (§. 26.) et difficulter destruuntur, vti ex multis opii praeparatis patet, excretis opii praebent odorem.

§. 52.

Imminuta sic opii quantitate quae humoribus commixta erat, itemque serri atque spirituum copia, non potest non sanguinis rarefactio itemque cordis et arteriarum impetus imminui. Contrahunt, ergo sese vasa obstructa ex tono suo physico, sanguinemque fluidum contentum in venas propellunt, forsitan ex parte quoque in arterias retro premunt, et sic stasis atque rubedo cessant. Et hic alter est modus quo stasis expeditur; ex quo simul patet, vtrumque simul locum habere posse. Haec stasis facilius expeditur in internis partibus, v. g. intestinis ventriculo etc. quam in cute, quia sunt humidiores, calidiores atque molliores: vnde fieri potest vt post mortem intestina reperiantur integra, cute adhuc rubente.

§. 53.

Cessante iam effectu opii narcotio, non potest non tristitia, lassitudo, pulsus languidus atque cutis pruritus remanere. (§. 15.) Spiritus enim sunt consumti vasorum tonus est imminutus, et fibrillae minimae, ab extensione nimia probabiliter disruptae, sese contrahunt, integras tendunt, forsitan exiguae fluidorum quantitates sunt extrauasatae, quae mox acres fiunt et irritant.

D

§. 54.

§. 54.

Si dolor praesens exhibitioni opii ansam praebuit, isteque dolor a stasi, siue inflammatoria siue alia, ortus fuerit, aut stasis per excitatum in sanguine tumultum expedita est aut perstitit. Prius si sit dolor etiam, cessante opii effectu narcotico, ablatu erit. Sin non fuerit expedita stasis, redibit dolor.

§. 55.

Cum omnis mutatio, quam opium proxime in fluidis exhibet, in imminutione cohaesionis eorundem consistat, acida vero cohaesionem fluidorum augeant, patet ratio, ob quam acida, siue sint fermentata, ut acetum, acidum citri, siue non fermentata ut spiritus salis, vitrioli, mixtura simplex, vel oleum vitrioli in copiosa aqua dilutum, egregium et optimum sunt opii, forsitan et aliorum narcoticorum, antidotum.

§. 56.

Ad euitandos noxios opii effectus varios medici excogitarunt modos opium praeparandi et depurandi. Quod si vero rem rite consideremus, facile patebit, omnes modos nullius esse pretii, quibus aliud quid obtinetur, quam ut terrestres opii partes a reliquis, quae narcoticas secum vehunt, separentur, et sic substantia magis homogenea obtineatur, quo id oritur commodi, ut medicus conuenientem opii dosin aegro propinare et indubitate effectum, quem intendit, obtinere queat. Non enim quaedam in opio haerent particulae, quae hypnoticam, et aliae quae narcoticam exhibent virtutem, sed hi diuersi effectus ab iisdem quidem, quantitate tamen diuersis, producuntur particulis, uti ex eo, quem exposuimus, agendi modo facile perspicitur.

§. 57.

§. 57.

Merito ergo omnes opii reiiciuntur praeparationes, quae forti calcinatione, solutione in aceto, vel diuturna fermentatione fiunt. Calcinatione enim vehementi omne sulphureum volatile, in quo tamen omnis vis opii, tam salutaris anodyna et hypnotica quam narcotica, consistit, dissipatur, reliqua vero massa iners, nulla nec salutari nec noxia qualitate praedita, relinquitur. Solutionem in aceto, vel quocunque alio liquore vel spiritu acido, inutilem esse ex eo patet, quia acida maiorem noxium opii effectum tollere possunt, multo enim magis sic salutarem anodynum impediunt. Si denique fermentatione longa non omnis opii virtus destruitur, aliud tamen commodum eadem non obtinetur, quam ut etiam imprudens medicus, qui usum opii plane non intelligit, maiori extracti opii dosi, noxam inferre nequeat.

§. 58.

Idem hic usus, nempe quod maior opii dosi parum noceat, obtinetur, si extractum opii aliis medicamentis, v. g. aromaticis, ut in *laudano liquido* SYDENHAMII, vel aliis quibuscunque, modo non sint mere narcotica, medicamentis miscetur. Tales sunt *pillulae anodynae* MYNSICHTI, CORTESII, *narcoticae* MYNSICHTI, PLATERI, LEMERY, *pillulae de cynoglossa, solares* WILDEGANSII, *anodynae* STARCKIANAE, aliaque infinites variantia composita anodyna vel narcotica dicta medicamenta. Immo, si addita opio ex alcalicorum vel aromatum classe sint desumpta, cum haec addita simili modo, quamvis minori ac opium gradu, agant, parum imminutus erit opii effectus noxius, adeoque semper tamen talia composita minori dosi sunt propinanda.

§. 59.

Optima nobis praeparatio opii, ad eum, quem Spho 56. proposuimus, finem obtinendum ea esse videtur, quam b. G. W. WEDELIVS (chim. p. 155.) sub titulo *Essentiae anodynae* sequentibus verbis proponit. ℞. *Opii Thebaici v. g. ℥℥. puluerisato in mortario, et indito ollulae, affundatur aquae fontanae q. s. (par ratio est roris maiialis, vel phlegmatis aceti destillati ab arcano tartari residui *) Coquatur leni carbonum igne ad sufficientem dissolutionem et extractionem, facta simul agitatione cum baculo. Hinc decantatus liquor tinctus, et filtratus per linteum album purum, cum expressione, euaporetur ad quartam circiter usque partem, donec saturatus (i. e. donec guttulae ex spatula lignea descendentes non amplius sint pellucidae) neque tamen coagulo proximus euadat, cauendo empyreuma. Huic affundatur duplum vel triplum spiritus vini rectificati seu tartarisati, q. s. scilicet ad tincturam in momento quasi*
extra-

* Haec latina b. WEDELII verba minus rite intellexisse videtur b. Berolinenf. NEVMANNVS (*Lect. de opio p. 137.*) quando dicit: *Von Herrn D. WEDEL habe ich schon gesagt daß er sein extractum mit liquore terrae foliatae tartari gemacht; Er sagt mit demienigen Lixiuio oder Wasser so vom arcano tartari übrig bleibt, sane haec verba NEVMANNI non possunt substitui verbis b. WEDELII, quando dicit, phlegma aceti destillati ab arcano tartari residui, phlegma enim aceti, quod transit quando solutionem salis tartari, in aceto destillato factam, destillamus, lixiuium ab arcano tartari remanens dici nequit, hinc cadit longa quidem et ironica, insulsa tamen epicrasis Neumanniana. Haud melioris farinae est ea Neumanniana Wedelianorum effatorum ironica taxatio, quae p. 109. reperitur. Nisi enim vocabulum latinum sulphur germanice Schwefel exponas, id quod NEVMANNVS fecit, idem NEVMANNVS cum b. WEDELIO sentit; sulphur enim continet quicquid inflammabile continet, et mercurius opii nil nisi volatiles opii partes indicat, quae vtraque nemo, nec ipse NEVMANNVS in opio negat.*

extrahendam. In hac enim essentia pars crassa inutilis in filtro remanet, et, breui hac coctione, quae ultra horam durare non solet, pars opii volatilis, anodyna scilicet seu narcotica, parum consumitur: Interim substantia homogenea, in partibus omnibus, quantitate aequalibus, aequalis quoque virtutis, obtinetur et spiritus vini alia intentione non admiscetur, nisi ut vappescencia impediatur, vnde etiam tertia vel quarta spiritus vini pars sufficit.

§. 60.

Si haec essentia anodyna ad fornacem, ad consistentiam solidam usque, inspissetur, egregium obtinetur extractum opii seu anodynum. Numquam tamen nec essentia nec extractum per se exhibeatur, sed essentia aliis essentiis vel tincturis, in proportione subsextupla vel suboctupla, extractum vero aliis pulueribus ita misceatur, ut extracti non nisi pars quarta vel dimidia grani pro vna dosi exhibeatur. Sic nunquam noxius obseruabitur effectus.

§. 61.

Cautiones circa usum opii obseruandas quod attinet, b. WEDELIVS octo earum proposuit. Vult enim,

- 1.) ne agonizanti et in extremis versanti aegro, viribus penitus eclipsantibus,
- 2.) ut primaria dosi circa somnum, secundaria dosi aliis diei horis, etiamsi nulla praecesserit venaesectio vel purgatio, etiam in paroxysmis febrilibus, vel instantibus eruptionibus vel abscessibus criticis, si indicetur, itemque ventriculo vacuo,
- 3.) ut in morbis vel temperamentis phlegmaticis vel pituitosis, et generatim in debilibus subiectis, caute et secundaria immo refracta tantum dosi, et

- 4.) simili modo infantibus, pueris et senibus;
- 5.) cum sufficiente humido,
6. interne quidem et externe, non tamen futuris
cranii, oculis et auribus, et semper quidem
- 7.) minori, et, si necesse sit, reiterata potius quam
iusto maiori dosi,
- 8.) rite denique præparatum, aegrotis propinetur.

§. 62.

Easdem cautelas *SINAPIVS* quoque commendat, ultra triginta quidem adhuc duas proponit regulas, sed omnes sub adductis generalibus, tanquam casus speciales, comprehenduntur. *NEVMANNI* cautelae sex noxium declarant opii crudi vel extracti solitarie propinati usum. Reiicit quoque omnes præparaciones spiritu vini, vel absque præcedente fermentatione factas, et formam liquidam siccae præfert.

§. 63.

Ratio adductorum monitorum facile ex ante dictis perspicitur. In debilibus enim subiectis, si humorum induxerit fusionem, stasis quidem fieri, ob vim vero vitalem debilem eadem expediri nequit, vnde vel mors, vel cerebri atque neruorum læsiones sequuntur.

§. 64.

Cum medicus semper suas actiones naturae conformiter instituere debeat, tempus vero nocturnum somno sit maxime naturale, hoc quoque tempore dosis opii primaria, quae ultra granum vnum extracti raro ascendit, potissimum concedi potest. Secundaria dosis, i. e. grani pars quarta vel dimidia, liberum quidem et faciliorem per vasa minora motum, non vero obstructionem infert, vnde omni tempore diei, immo morbi,

morbi, nisi vbi impetus humorum est maximus, vt nonnunquam in incremento et statu febrium fieri solet, exhiberi potest. Vnde simul patet, secundariam vel refractam dosin excretiones criticas itemque abscessus, iuuare potius quam impedire, quamuis maior dosis excretiones impedire valeat, replendo nempe vasa subtiliora crassioribus fluidi particulis.

§. 65.

Tutius quidem est, si plethora maior adsit, ne impetus oriatur maior, venaesectionem, et, si viscidus humorum sit status, ne stases, quae difficulter expediri queunt, sequantur, purgationem primariae opii dosi praemittere; quia vero secundariam vel refractam opii dosin dicta incommoda non sequuntur, innoxius, etiam plethorico vel viscido humorum statu praesente, erit moderatus opiatorum vsus.

§. 66.

Tanquam sulphureum corpus opium salium quoque actiuitatem minuit, cumque tamen breui tempore liquoribus aqueis sese misceat, iners reddet menstruum ventriculi, vnde patet, quare opium, primaria vel maiore dosi sumtum, concoctionem laedit. In pituitosis subiectis, vel etiam talibus morbis, minori dosi datum parum efficit, quia sese pituitae cito et aequaliter miscere nequit, maiori vero dosi exhibitum stases inferet, quae, antequam expediuntur, lethales vel saltim periculosae euadere possunt.

§. 67.

Cum humido sufficiente propinari debet, quia secundaria dosi exhibitum, fluiditatem feri augendo, nullam tamen stasin inferendo, humidum nostri corporis consumit; in maiori vero opii dosi exhibitum, vbi nempe stases infert, humidum auctum partim calorem p. n. mitigabit, partim obstructionum reseruationes iuuabit.

§. 68.

Quod futuris adplicatum cerebro noceat minus nobis vide-

videtur probabile, quia penetratio per futuras alia quam per vasa fieri nequit. Per vasa vero si penetret, in venas quidem, minime vero in cerebrum penetrabit, nisi quatenus per venas ad cor et a corde ad cerebrum defertur; sic vero aliter non aget, quam si per os fuisset assumptum. Oculis tamen et auribus dolentibus, i. e. irritatis, adplicatum opium, facile, quatenus viscidum et acre est, irritationem noxio gradu augere poterit.

§. 69.

Ob quam causam tutius sit extractum siue essentiam opii propinare quam crudum opium §pho 56. exposuimus. Quacunque vero exhibeatur forma, semper prudens medicus praeferet effectum hypnoticum vel anodynum, absque narcosi, ei qui narcosi iunctus est, quia hic semper periculo est coniunctus. Cum igitur hi diuersi effectus quantitate opiati maiore vel minore obtineantur, per se patet, semper consultius esse minorem, eamque, si necessitas postulet, aliquoties repetitam dosin, quam simul atque semel primariam dosin aegroto propinare. Sic v. g. si somnus certo a medico desideretur, melius erit circa vesperam omni hora quartam grani vnius partem, vsque dum somnus sequatur, quam vnum vel duo grana pro vna dosi aegro porrigere; sic enim, cum cesset opii propinatio, quam primum mitior, salutaris nempe hypnoticus effectus adest, maior effectus, narcoticus nempe, semper euitabitur.

§. 70.

Effectus salutare, qui hactenus in infinitis aegrotis, per essentiam anodynam vel extractum opii, WEDELIANA methodo parata, sunt producti, sat manifeste docent, praeparata opii per spiritum vini, vel sine praeuia fermentatione, facta, tanquam noxia non esse reiicienda. Si qui sinistri euentus sint obseruati, medico potius quam medicamento culpa erit tribuenda, quod nempe dosi vel iusto maiore, vel intempestiue, essentiam exhibuit anodynam.

F I N I S.



CLARISSIMO
DOCTISSIMOQVE MEDICINAE DOCTORANDO
IOHANNI CHRISTIANO
BVRGHARDI

S. P. D.
P R A E S E S.

ARTEM longam esse, vitam vero breuem, diuus iam monuit Hippocrates. Infinitae res, quas medicus scire debet, minime tamen ex principiis concludere potest, sed sola experientia addiscendae et memoriae commendandae sunt, primarium inter difficultates artis medicae obtinent locum. Multum igitur falluntur, qui artem medicam biennio vel triennio ita addisci posse credunt, vt sanitas hominum ipsorum arti tuto commendari queat. Hoc verum est, triennio tantum medicinae studiosum addiscere posse, vt, lectione probatorum autorum, id quod ipsi adhuc ratione habitus et experientiae deest,
E pro-

proprio Marte addiscere possit. Semper ta-
men tutius est, eousque in academiis com-
morari vsque dum etiam in practicis disci-
plinis, ea, quae experientia sola nituntur,
sufficienter memoriae sint mandata. Tu
Doctore doctissime hac in re minime Ti-
bi defuisti: per plures enim annos in diuer-
sis academiis plurimum doctorum usus es in-
stitutione. Nec naturalia Tibi defunt bona:
iudicio enim et ingenio egregio es a summo
Numine beatus, id quoque, quod Tibi in-
cumbebat, haud omisisti, siue diligentiam
priuato studio adhibitam, siue eam, quam in
praelectionibus probasti praeceptoribus,
spectem. Hinc factum est, vt ex voto Fa-
cultati nostrae in duobus prioribus satisfe-
ceris examinibus. Gratulor ergo et Tibi et
Parenti Tuo optimo honores summos in ar-
te medica ex merito mox capessendos,
deumque precor, velit Tibi sanitatem con-
cedere inconcusam ad feram vsque aeta-
tem, Tuisque laboribus quoque clinicis be-
nigne adesse, vt Tua ope Tuisque consiliis
multorum aegrotorum sanitas et conseruetur
et restituatur. Vale. Dab. d. xvi. April.
an. M DCC XLIX.

PRAE-

* * *

PRAECLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO DOCTORANDO

S. P. D.

D. ADOLPHVS FRIDERICVS
HAMBERGERVS.

Si illud proprium est amicitiae, vt quantum eorum, quos vere diligimus, gloriae, tantum nostrae, qui ipsis omnia ex voto succedere cupimus, laetitiae accedat: quidni et ego ex animo laeter, cum **TIBI**, amice aestumatissime nunc pro meritis **TUIS** summi in arte medica deferuntur honores? Huic ex **TVA** dignitate acceptae laetitiae haud parum addis augmentum, dum blanda **TVA** inuitatione comitem me **TIBI** adiungis, extra limen domesticum prolaturus praestantissimam **TVAM** in litteris atque scientiis facultatem. Qua occasione cum publice **TIBI**, quanti **TE** faciam, semperque fecerim, declarare possim; gratulor iam ex animo honores nunc capeffendos. Et cum solida **TVA** in arte medica eruditio certo confidere nos iubeat, fore, vt aliquando patriae et aegrotorum saluti optime per **TE** fit consultum; vt summum numen labores **TVOS** in eius gloriam suscipiendos omni felicitatis genere secundet, **TE** que diu sospitem atque incolumem conseruet, a Deo t. o. m. ardentissimis semper expetam votis. Vale, mihi que faue. Dab. Ien. d. 17. April, 1749.

* * *

V I R O

PRAECLARISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
IOANNI CHRISTIANO BURGHARDI

ARTIS SALVTARIS CANDIDATO DIGNISSIMO
AMICO SVO HONORATISSIMO

S. D. P.

M. IO. CHRISTIANVS BLASCHE.

IN gratulandi partes venio lubens et iure quodam meo, tum, quod intellexi auctoribus idoneis, ac testibus locupletissimis, quam dignus sis honore, in arte salutari summo, et ipse intelligo, quam non ad ostentationem, vt solent inani fastu inflati ac turgidi homines, a quibus abhorres, sed potius ad aliorum salutem collaturus sis dignitatem, qua emines; tum etiam, quod amicitiae causa, vt bonis indemtidem cumuleris, vehementer cupio. Conscende igitur faustis omnibus cathedram medicorum, et laude, quam reportaueris, comite, post decem annorum academicae nauigationis cursum, ad patrium littus appropinqua. Cum vero in patria dulcissima facere medicinam feliciter coeperis; quamquam ea res tota ad conscientiam sit referenda: precor, vt ad opem ferendam ab iis etiam saepissime arcessaris, qui firmiter persuasum habent, dandum largiter esse medico, quo studiosior fit. Vale, mihiqve perpetuo faue. Scr. Ienae ad d. xvii. April. a. p. c. n. clō lōcc xxxviii.

Freund,

* * *

Sreund, da Dein Fleiß Dich jetzt zur Doctor-
 Würd' erhoben,
 So darff ich Dich nicht erst, wie gern ich wolte, loben.
 Dein Lob ist Dein Verdienst. Doch wie betrübt
 bin ich!
 Ich ehrte Dich als Freund, und Du verlässest mich.

Dem Hoch-Eblen und Hochgelahrten Herrn Doctoranden
 wolte seine Schuldigkeit bezeigen und zu der erhalte-
 nen Würde gehorsamst Glück wünschen

J. F. J. Müller, Hild.
 Med. Cult.
 O P P O N E N S.

MONSIEUR,

Ceux qui ont admiré jusqu'ici les beaux talents,
 qui brillent en votre personne, la diligence, avec
 laquelle vous vous êtes appliqué à les cultiver et à
 les perfectionner, ne se sont aucunement étonnés
 du fruit excellent, que vous en donnez au public.
 D'ailleurs votre admirable conduite vous a attiré l'
 approbation de tous les honnêtes gens, qui ont eu le
 bonheur de vous connoitre et de vous frequenter.
 Jugez donc, MONSIEUR, de la joye qu'excite
 aujourd'hui en nous la noble recompense, que vous

recevez, l'esperance que cela donne de vous voir paroître avec honneur dans le monde, être utile au public, et augmenter votre gloire et la satisfaction de ceux qui vous souhaitent la recompense due à votre capacité et à votre merite personnel. Confidez encore comment vous allez être reçu dans notre Patrie et embrassé tendrement de vos chers Parents. Permettez-moi, MONSIEUR, de vous en feliciter par ce peu de lignes, de vous demander la continuation de votre bienveillance, et de vous protester, que je serai toujours avec beaucoup d'estime et de veneration,

M O N S I E U R,

Votre tres humble & tres obéissant
serviteur

J. D. OLDENBOURG,

Etud. en Med. et Oppos.

du Pays de Mecklenbourg.

Molt Illustre, ed Eruditissimo Signore Dottorando

L'aver V. S. Molt' Illustre per mezzo della di lei eccessiva diligenza, e fervido studio impiegato in ogni tempo nell' imparare infatigabilmente le belle scienze della medicina, le fa al presente ottenere quegli onori, già da lungo tempo dovuti, e non meno dalla
di

di lei impareggiabile capacità degnamente meritata. Riverentissimo Signore Dottorando, offenderei e la di lei stimatissima amicizia c'hò avuto l'onore di godere, e farei torto alla di lei singolare e più che nota modestia, se prætendessi d'inalzare la di lei grand' erudizione. La dottrina di lei disputata data alla luce, ed a me consegnata ad impugnarla ne dà un testimonio veridico della di lei più che solida ed esquisitezza verità, anzi mostra ad ogn'uno quant' utilità farà lei per procacciare in breve tempo alla di lei dolcissima Patria. Vengo perciò con queste mie riverenti righe ad augurarle dall' Omnipotente Iddio l'intero conseguimento della di lei ben intrapresa fatica, col pregarle tutti quei prosperi successi, che potranno colmarla di tutte le contentezze più desiderabili anzi di conservarla felicemente fin' ad un' età decrepita, e per sollazzo della Riverentissima di lei Famiglia e per pronto soccorso di moltissimi ammalati, affinché lei possa riccamente raccogliere i frutti del di lei eccellente merito. Finalmente prego di degnarmi anche dopo il ritorno alla di lei patria della di lei gratissima amicizia, assicurandola, che da me le farà in qualunque luogo e tempo sinceramente contraccambiata. Viva felice Siena li 13. Aprile 1749.

MARTINO GIACOMO KVBAS,

di Danzig.

Candidato della Medicina.

OPPONENTE.

Beweget,

* * *

Bewegt, o Freund! durch Kenntniss meiner
 Pflicht,
 Durch Dich erweckt, durch Deine reine Liebe;
 Aus Freundschaft-reg, und aus Gewohnheit nicht;
 Denn dieser Tag wirckt in mir befre Triebe.
 Beym Glücke froh, womit Dein Fleiß Dir lohnt,
 Nehm ich igt Theil an Deinem wahren Ruhme;
 Du wirst geehrt; die Lieb, so in uns wohnt,
 Schenckt Deinen Werth auch mir zum Eigenthume.

Hiermit wolte dem Hochzuehrenden Herrn Doctorando
 zu der erhaltenen Würde seinen Glückwunsch ab-
 statten und sich zu fernern gütigen Andencken ge-
 horsamst empfehlen

Deffen ergebener Diener

Carl Jacob Barth,

Aus Zeitz in Meissen. M. C.

